



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

VI. An voluntas ex duobus mediis propositis possit eligere minus bonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

Christum producere, ex vi tamen intentionis, & cuiuscumque cognitionis, dum non respicit tempus iam praesens, & illi coexistens, in quo virget exequutio finis, ad nihil teneatur voluntas, quia intentio per se non obligat ad electionem, sicut decretum Dei obligat Deum ad illius obiectum adimplendum, sed tantum est quid inadaequatum, quod simul cum aliis circumstantiis, inter quas una est adimpletio temporis, in quo virget exequutio finis iuxta decretum intentionis determinabit ad electionem.

PUNCTUM VI.

An voluntas ex duobus mediis positis possit eligere minus bonum.

I Dxi, voluntatem suppositam intentione finis, ad quem plura media occurrunt, pro sua libertate posse eligere vnum, vel aliud; specialius inquirendum est An possit eligere minus bonum, vel aequale bonum. An vero ex suppositione, quod vnum eligat teneatur magis bonum eligere? Dupliciter potest aliquid apparere magis bonum; ex parte obiecti, vel ex parte modi; ex parte obiecti, quando maior bonitas apparet in hoc medio, quam in illo; ex parte modi, quia etiam si non appareat maior bonitas in hoc medio, quam in illo, sed aequalis, aut minor, viuacius tamen, & efficacius proponitur voluntati minor illa bonitas, quam alia maior, ita ut ex modo cognoscendi magis alliciat voluntatem obiectum cognitum cum minori bonitate, quam aliud cum maiore bonitate frigide, & inefficaciter voluntati propositum, quod non est apparere ut maius bonum, sed magis bene, hoc est, efficacius atque viuacius proponi. Hae difficultas aliquid habet commune in mediis electis, & in finibus intentis, & aliquid singulare in mediis conducentibus ad eundem finem. Communis est difficultas respectu electionis mediorum, & intentionum diuersorum finium. An voluntas semper feratur in obiectum, quod in illo instanti, in quo operatur efficacius proponitur de qua disputant Theologi, & quapropter hic non disputabo, an voluntas semper feratur in medium, quod in illo instanti efficacius proponitur, sed an semper eligat medium, quod ex parte obiecti melius, & vtilius apparet ad finem consequendum; quae difficultas est propria electionis mediorum, & non communis intentioni finis.

2 Dupliciter potest medium esse melius; vel formaliter ut medium, quia per illud certius, & infallibiliter, perfectius & facilius finis obtrinebitur, quam per aliud, vel quia etiam si aequale sit, infallibiliter, perfectius, & facilius medium per illud obtrinebitur, hoc tamen alias rationes bonitatis in se habet, vel propter se amabilem, vel propter alium finem, ad quem possunt conducere. Doctores, qui affirmant ex duobus mediis voluntatem eligere semper illud, quod perfectius iudicatur, existimo loqui de medio perfectiori formaliter in ratione medij, hoc est, de viliori ad finem obtrinuendum.

3 Audiui virum doctum defendisse, non esse vnum medium formaliter vtilius alio in ordine ad eundem finem, cuius fundamentum hoc erat: medium, quo citius finis obtrinetur non est vtilius ad obtrinuendum finem alio, quo non ita citò finis obtrineretur, quia finis citò, vel serò obtrinitus idem est quoad substantiam, ex quo fit respectu intentionis respicientis substantiam finis abstrahentis à tempore aequale vtile esse medium, quo in hoc tempore, vel in illo finis obtrinetur, quia aequale completur intentio per finem hoc, vel illo tempore obtrinitum, illud tamen habebit speciale tale medium, quod non solum erit vtile ad finem obtrinuendum, quem voluntas intenderat, sed etiam erit vtile ad illud obtrinuendum in tali tempore, quod voluntas per aliam intentionem intendisse poterat. Quod si per eandem intentionem, non solum voluntas intenderat finem, sed finem in tali tempore obtrinuendum, vtile non erat, si voluntas taliter intendisset finem in tali tempore, quod illo transacto, non amplius de fine acquirendo curaret; quod si illum intendisset in tali tempore acquirendum, ita ut si illo acquiri non posset, ex vi illius intentionis in sequenti finis esset amandus, tale medium, quod vtile erat ad acquirendum finem, & non in tempore praefixo, non erat adaequate vtile, vel non erat vtile respectu finis adaequati, sed inadaequate, quia finis adaequatus erat substantia rei obtrinuendae, & talis duratio, & me-

dium illud esset vtile ad substantiam rei acquirendam, non vero ad illius durationem. Hae quidem sunt contra communem modum concipiendi hominum, levis momenti, & nullius fundamenti, quicumque enim intendit finem vtiliter intendit illum obtrine minor incommodo, quo possit, & ut primum commodè possit, si aliud non exprimat, aut ipsa materia intenta exigat, quapropter medium illud, quo minori incommodo, citiusque finis obtrinetur respectu eiusdem finis indiuisibiliter intenti vtilius est, & iure optimo dicitur aptius medium.

4 Supposita intentione efficaci finis voluntatem non posse eligere medium inaequale, aut minus bonum docent Contr. 1.2. quest. 13. art. 6. ad 3. Burid. 3. & hic quest. 4. & 5. Orontius in margarita Philosophica lib. 1. c. 15. & expresse Vasquez 1.2. quest. 43. cap. 2. & Azorius tom. 2. lib. 1. cap. 25. questione 6. & 7. licet de mente huius posset nonnulla suboriri dubitatio, ipse enim addit questione septima, questionem non esse, An minus bonum velle, vel eligere possimus quā bonum iudicas, nam constat minora bona nos saepe eligere quatenus vtiliora, iucundiora, & aptiora arbitramur: sed inquiri, An minus bonum quā minus est, velle, aut eligere possit voluntas. Hae Azor. Numquam vellem in equiuocum laborare, neque definire questionem, cuius status omnibus compertus non esset, si enim de eadem re non ceremus, forsitan, qui affirmant, & qui negant, in eandem mentem concidunt. Existimo questionem non esse, an minus bonum ex ratione, quā minus bonum, id est, sub ratione carentiae bonitatis quam habet, possit eligi, ita ut motuum electionis sit formalis ipsa carentia bonitatis, hoc enim nullus in questionem vocauit, quia carentia bonitatis ut talis non est obiectum prosecutionis; questio debet esse an duobus mediis propositis aequaliter, vel inaequaliter bonis, postquam intellectus voluntati proposuerit hoc esse melius, seu vtilius, possit aliud eligere, vel vnum de duobus aequale bonis, seu vtilibus propositis, neque aliud potest inquiri, etiam si inquiratur an voluntas comparando vnum ad aliud possit medium minus bonum eligere, quia voluntas in electione per proprium voluntatis actum comparationem non facit, sed facta comparatione mediorum ab intellectu voluntas eligit hoc, vel illud. Questionem sic explicatam tractabo.

5 Voluntatem posse eligere medium minus bonum tenent Soar. in tabula lib. 9. Metaph. cap. 5. q. 3. & disp. 19. sect. 6. num. 13. & 1.2. disp. 4. sect. 4. citata, & plures apud Salas, quos ipse sequitur sect. 5. citata. Moneo tamen ibi referre Vasquium pro hac sententia, qui illam impugnat, & oppositam pugnacissime defendit, licet enim asserat ex duobus finibus posse voluntatem eligere minus bonum si illi efficacius proponatur; in mediis autem aliter rem contingere expresse affirmat cap. 2. citato, ubi disparitatem affert inter electiones diuersorum mediorum respectu eiusdem finis, & intentionum in diuersos fines tendentium, quapropter finitè interpretatur Salas mentem Vasquij, dum illa, quae de finibus docet, ad media vult transferri, siquidem expresse dixerit ille aliter de mediis, quā de finibus philosophandum esse.

6 Dicendum est, voluntatem non teneri eligere ex suppositione, quod sit electura medium eo ipso, quod melius materialiter appareat, hoc est non magis vtile, sed bonitatem aliam habentem in se amabilem, propter ipsam seu in ordine ad alios fines. Probatur haec conclusio, quia si bonitas illa sit amabilis propter ipsam mouebit bonitatem per modum intentionis, & non per modum electionis: ergo non necessitatem inferet voluntati amandi illam, quia bonitas per modum intentionis, seu in ordine ad intentionem proposita non necessitatem infert voluntati, nisi appareat absque vlla admixtione mali: si bonitas illa maior sit amabilis propter alios fines, voluntas, quae non agit de electione in ordine ad illos, nullo modo trahetur illa, sed tantum mouebitur bonitate, seu vtilitate conducente ad finem, quem per illa media intendit obtrine.

7 Dicendum est secundo, Voluntatem ex duobus mediis aequale bonis vnde quaque, & aequale vtilibus ad eundem finem posse pro sua libertate vnum, vel alterum eligere. Hanc conclusionem modò vnica probo ratione, quā doctè adducit Soar. sect. 4. citata. Irrationale est cessare ab omni electione finis quem ardentissime intendo, quia mihi duo media occurrunt, quibus illum consequi possum,

finem medium istud amplecterer in ordine ad illum finem, mihiq; valde iucundum esset illud inuenisse, quo possem dignitatem, quam per intentionem vehementer ambiebam adipisci, alienum à ratione erit, alio medio æque vtili proposito neutrum eligere, & ob hanc rationem ab intentione cessare, vel illam irritam facere. Quod si in causis physicis, quando duo agentia eiusdem virtutis occurrunt quæ effectus impossibiles producere intendunt, vtrumque cesset ab actione, ratio est, quia victoria actionis tantum est penes illa, & cum neutrum possit alterum vincere, vtrumque absque victoria manet. Cum verò duo media per cognitionem æque in actu primo vtilia apparent, & voluntatem inclinant ad sui amorem, penes voluntatem est eorum litem dirimere, & poterit huius annuere cognitioni, & illius propositionem irritam facere, licet enim voluntas iuxta rationem operetur, ratio ipsa exigit, vt ipsa pro sua libertate saltem ceteris paribus medium eligat, quod maluerit.

8 Dicendum est tertio voluntatem ex duobus mediis in æqualiter vtilibus posse eligere minus vtile, vtiliori relicto. Hæc conclusio probatur à priori ex libertate voluntatis, cui integrum est tendere in obiectum, in quo inuenit sufficientem rationem motiuam amoris, dum alio impossibili non rapiatur propter summam bonitatem, quam habeat, sed medium minus vtile habet, quâ ratione vtile est, sufficientem rationem mouendi, siquidem alio vtiliori ablato illam moueret, & voluntas non rapitur vtiliori medio, in quo non summam bonitatem reperit, & à cuius amore cessare poterat ergo poterit minus bonum eligere.

9 Confirmo, & explico eandem rationem: Propositio medij vtilioris non infert necessitatem absolutam medij, quod proponit, vt concedit Vasquez, & voluntas potest cessare ab electione illius: ergo postquam voluntas cessauerit ab electione vtilioris medij, poterit, illâ propositione permanente eligere minus bonum, quod adhuc illi proponitur vt obiectum electionis, quia propositio medij vtilioris immediate, & per se non opponitur cum electione medij minus vtilis, electio vtilioris medij non datur: ergo posita illâ propositione vtilioris medij & cessante electione eiusdem poterit voluntas in electionem medij minus vtilis prorumpere. Ratio est, quia propositio medij vtilioris per se & immediate non retrahit voluntatem ab electione medij minus vtilis, sed immediate inclinat ad electionem medij, quod proponit, & consequenter ad negationem alijs electionis, quæ hanc impediret: ergo si ita inclinat voluntatem ad electionem sui obiecti, vt ius illi relinquat ad eligendam aliam electionem, quia non apponit illam ad quam inclinat mediâ quâ voluntatem auertere potest ab alia electione.

10 Probatur eadem conclusio ex libertate electionis diuinæ. Deus enim non semper eligit id, quod est melius, alijs semper necessario eligeret, & vt fatetur Vasquez num. 17. Deus amat creaturas tanquam medium comparatum cum sua bonitate: ergo sicuti Deus ex intentione non tenetur eligere vtilius medium, sed sufficit si medium vtile eligat, ita neque creatura tenebitur eligere medium vtilius, sed satis illi erit medium ex se vtile eligere, etsi minus vtile alio. Respondet Vasquez dicto num. 17. Deum non eligere vnam creaturam comparatè cum alia, etsi vnam creaturam relatè ad aliam cognoscat, quia iudicium diuinum non proponit vnam creaturam, vt potius eligendam, quàm aliam, sed simpliciter proponit bonitatem cuiusque. Hoc autem affirmat esse, quia nos ex indigentia eligimus, Deus autem numquam ex indigentia eligit, ideoque nos ad consultationem procedimus, vt melius eligamus. Non acquiesco solutioni, neque disparitatem percipio, quia intellectus diuinus, vt admittit Vasquez confert vnam creaturam cum alia, & dicit: hæc est illa vtilior ad hunc finem, & dicit hæc aptior est, vt eligatur, & voluntas diuina relicta illa creatura, quam intellectus illi proponit vt aptiorem, minus aptam eligit: ergo cum eadem comparatione eligit voluntas diuina, ac voluntas creata. Probo consequentiam, quando voluntas eligit formaliter per ipsum actum voluntatis, qui est comparatio, non comparat vnum medium cum alio, sed illud amat, quod eligit, & abstrahit à reliquis: sed tota comparatio consistit in cognitione præcedente electionem, quâ dicit intellectus, hoc medium est vtilius illo, in ordine ad finem, & in hoc consistit tota ratio consilij ad electionem

requisita, nam eo ipso, quod dicat intellectus, hoc medium habet tantam vtilitatem, & illud tantam, & hoc est vtilius illo, est totum illud, quod requiritur, vt physicè, & moraliter fiat prudens electio, neque adhuc requiritur cognitio, quâ dicat intellectus, hoc medium est eligibilius illo, quia ad electionem faciendam non requiritur cognitio ipsius electionis, seu eligibilitatis, sed bonitatis mediorum: ergo tota illa comparatio, quæ per modum consilij repetita est in voluntate creata, reperitur, in voluntate diuina, licet non per modum consilij, quia hoc dicit imperfectionem, sed per simplicem intuitionem: ergo ex modo eligendi voluntatis humanæ comparatiue non oritur specialis necessitas, quæ in Deo non oriatur ex alio diuerso modo eligendi, amplectendi medium, quod est melius. Denum caput illud, ex quo oritur diuersus modus eligendi in Deo, & in creaturis, iuxta mentem Patris Vasquez videlicet, quod Deus eligit liberè, & creatura necessario, non probat: quia antecedenter ad intentionem efficacem creatura liberè eligit, & intentione efficaci supposita, tam Deus, quàm creatura necessario eligunt medium requisitum necessario ad talem intentionem adimplendam. Imò aliquo modo magis necessario eligit Deus, quàm creatura, quia supposita intentione efficaci in creatura potest illa electionem differre vsque ad præfixitum tempus ab electione, in quo finis est obtinendus, & postea urgente iam tempore executionis finis, & electionis necessario faciendæ, cessare ab intentione, & electionem omittere: Deus autem si semel obiectum efficaciter intendit, non potest electionem differre, neque ab intentione cessare, quia omnis actus Dei est æternus, & ab æterno, ac proinde semel intentione efficaci posita nullo modo electionem requisitam ad finis executionem potest fugere.

Rationem vltimam conclusionis, quam defendo, trado à priori. Intentio efficax tantum obligat ad id, quod simpliciter necessarium est ad finem obtinendum: sed ad id non est necessaria electio medij vtilioris, sed sufficit electio medij vtilis: ergo non obligat ad electionem finis vtilioris, sed tantum vtilis. Dices intentionem per se non obligare ad electionem medij vtilioris, sed medij vtilis, quia tamen cognito medio vtiliori, possibilis non est electio medij minus vtilis, per accidens obligat ad electionem medij vtilioris, quia si per se obligat sub disiunctione ad electionem duplicis medij, & hic, & nunc electio huius impossibilis est, necessario manet voluntas determinata ad illud eligendum. Hæc solutio reiicienda est ex dictis præp. quia cognitio, quæ non infert necessario amorem sui obiecti, non potest necessario inferre negationem amoris alijs obiecti, cum quo non existeret amor proprii obiecti. Neque cum aliquo fundamento dici potest cognitionem obiecti vtilioris necessitare voluntatem, vt ex suppositione, quod non amet medium ab illa propositum, aliud non amet, quia talis cognitio per se, & immediate non inclinat absolute, neque sub conditione ad negationem amoris medij minus vtilis sed ad positium amoris vtilioris medij.

Obicit Vasquez pro sua sententia Aristotelem lib. 3. de anima cap. 11. text. 58. ex quo hæc refert: *At deliberatiua in se est tantum, quibus ratio inest, nam vtrum hoc agat, an hoc, rationis iam opus, atque officium est, atque necesse est vniuersumque metiri: maius enim persequitur.* Hæc ex Aristotele Vasquez, quæ sic expendit: In deliberatione, quâ inquiritur, vtrum hoc opus, an illud agendum sit, esse debet vna regula, quæ metiatur, & expendat singula, quæ proponuntur: quod autem hac regula iudicatum est maius, persequitur, & eligit voluntas: ergo non minus vtile, neque æquale, &c.

Vt verba Aristotelis clarè explicem, placet adducere, quæ ex vtroque latere immediate annexit Aristoteles, præcedentibus relatis, quæ mihi sunt lib. 3. de anima cap. 3. text. 56. *Sensitiua igitur & imaginatio, sicut dictum est, & in alijs animalibus inest. Deliberatiua autem in rationalibus. Primum enim agat hoc, an hoc, iam rationis est opus, & necesse est eam mensurare, maius enim persequitur. Et causa hæc est, quia opinionem non videtur habere, quoniam ea, quæ syllogismo non habet, hæc autem illam.* Hæc Aristoteles cuius sensus alienus à mente Vasq. hic est: Sensitiua, & imaginatio inest animalibus: Deliberatiua tantum rationalibus, quorum rationalium, vel cuius deliberatiua est, quia est rationis opus, inquirere, an hoc, vel illud agendum sit, quæ propter necessitatem mensurare, hoc est, vnum cum alio conferre, maius enim persequitur, hoc est, quia ad plura se extendit deliberatiua, quàm imaginatio, quia hæc non confert vnum cum alio, sed deliberat

deliberatiua, quæ ad hanc collationem se extendit, & ideo maiora attingit, & maiora persequitur, quàm imaginatiua. Pulchram rationem adducit Aristoteles, quia opinionem non videtur habere imaginatiua, quia non habet notionem illam, quæ ex syllogismo nascitur: hæc autem, videlicet deliberatiua, illam, scilicet opinionem, & notionem syllogisticam habet. En Aristotelis verba clarè, & perspicuè explicata, quibus nihil meminit Aristoteles ex his, quæ ad nostram quæstionem attinent.

14 Obicit secundò Vasquez D. Th. 2. q. 13. art. 6. dicentem: totam rationem electionis provenire ab intellectu, tanquam à iudice, eo quod intellectus possit in quocumque medio inuenire rationem mali, & boni: ergo sentit voluntatem posse repudiare medium, nisi in illo inueniat aliquam rationem mali; si autem voluntas posset minus, aut æquale vtile eligere, posset nulla in medio inuenta ratione mali, illud repudiare. Respondeo optimam esse doctrinam Angelici Doctoris, quæ docet voluntatem non posse repudiare medium, quin in illo rationem aliquam mali inueniat; ex hoc tamen non inferitur, quod intendit Vasq. quia etiam ratio mali requiritur, vt voluntas non feratur necessariò in medium, quod illi vt bonum est propositum, quia bonum, quod sine admixtione mali apparet, necessariò voluntatem trahit, non ex hoc inferitur voluntatem teneri respicere id, quod magis malum & minus bonum apparet, & eligere maius bonum, quia posita bonitate, & malitia in obiecto, quam intellectus cognoscat, liberum est voluntati illud amare, vel odio habere, etiã malitia bonitatem excedat, autè contra, quia excessus ille non reddit subiectum summè bonum, neque summè malum, quod enim habet mixturam boni, aut mali neutrum in summo habere potest. Hac ratione eleganter subdit S. Thomas, postquam dixerat electionem esse liberam propter rationem dictam, & amorem beatitudinis necessariū esse, quia in beatitudine nulla mali ratio potest apparere. Aliud argumentum desumit Vasquez ex eodem articulo, vbi obiecit Angelicus Doctor casum, quo vtrumque medium æquè vtile apparebat, in quo voluntas non potest eligere, & respondet ad 3. voluntatem adhuc manere liberam ad electionem, quia potest consultare de mediis, quousque vnum vtilius appareret: quod si voluntas posset æquè bonum eligere, necessum non erat ad consultationē recurrere, sed diceret Angelicus Doctor, tunc voluntatē liberam esse ad eligendū alterum è duobus mediis æquè bonis. Respondeo cum Caietano: Angelicum Doctorem hic curasse de argumento soluendo, non verò de veritate antecedentis: an videlicet in illo casu voluntas proximè abique noua consultatione libera esset ad eligendum hoc enim necessarium non erat, ad solutionem argumenti, neque illa, quæ ad solutionem argumentorum necessaria non sunt, rectè adducuntur, præcipuè si sub opinionem cadant, quibus in aliam, & aliam quæstionem inciditur, & perennis fit argumentatio.

15 Arguit tertio, pro sua opinione: Electio supponit consultationem, quia non tantum inquiritur mediiorum vtilitas absoluta, sed respectiva vnius præ alio, ideo electio appetitus præconscripti dicitur: ergo electio semper fertur in id, quod melius apparet, alioquin ad quid requireretur consultatio aut consilium, quod voluntas non esset amplexura, & à quo electio non proveniret: consilium enim proponit, quod melius est. Vnde si minus bonum eligat voluntas, illa electio ex consilio non dimanabit. Resp. electionem supponere consultationem, quia inquiritur quid vtile, & quid vtilius, nihilominus non inferitur, voluntatem teneri vtilius eligere, quia hæc consultatio non requiritur, vt voluntas teneatur; sed vt possit, quod melius est eligere, & vt eligat, quod pro sua libertate maluerit; & quocumque electo medio, electio ex consilio dimanabit, quia si minus vtile eligatur, electio procedit ex cognitione, quæ dicebat illud medium habere aliquam vtilitatem, & sufficientem ad finem, quæ cognitio pars est consultationis, & ad consilium requisita, si illius pars non sit, & omisso electionis medij vtilioris libera sit per cognitionem illius, quæ representabatur medium vtilius, ac proinde adhuc hæc cognitio medij vtilioris conducit, vt electio minus vtilis sit magis libera hoc est, vt medium minus vtile præ magis vtili liberè eligatur. Adde, quod etiam si semper voluntas iudicio consultationis, seu consilio obtemperaret, aliquando posset consultationem concludere, vtrumque medium esse æquè vtile, & quodlibet

pro libito eligi posse, quo casu libera maneret voluntas ad eligendum medium æquè bonum.

Arguit quartò. Minus vtile, vt minus vtile est non habere rationem boni, ac proinde non posse eligi sub hac ratione. Solui hoc argumentum, dum quid quæstionis explicauit, quia dum dicimus eligi minus vtile, non dicimus rationem formalem mouendi voluntatem esse carentiam vtilitatis, quæ formaliter medium constituitur in ratione minus vtilis, sed vtilitatem positivam, quæ per negationem alius sibi adiunctæ minor denominatur, illa verò vtilitas rationem habet bonitatis, & amabilitatis respectu voluntatis.

PUNCTVM VII.

Quomodo intentio influat in electionem.

1 Consultò difficultatem hanc hucusque soluendam reliqui, quia ex principiis suprà traditis, illius sumpturus eram resolutionem. Explicuiam, quam connexionem habeat intentio efficax cum electione, quando hæc liberè, quando necessariò connectatur cum effectu. Ex quo facile erit dirimere an hæc connexio sit per modum principij physice influentis, an verò per modum principij moraliter determinantis.

2 Circa primam difficultatem: intentionem effectiue concurrere ad electionem docent Vasquez 1.2. disp. 33. cap. 4. n. 21. Salas 1.2. q. 8. tract. 6. disp. 5. sect. 6. n. 94. S. *Existimo probabilius*, Ruizius 1. de prouident. disp. 36. sect. 5. n. 12. vbi plures pro hac opinione refert, qui pro illa sine examine admittendi non sunt, cuius rationem dedi.

3 Intentionem non concurrere ad electionem docent Thomistæ apud Vasquez suprà, Valent. Hispal. & Dur. citati suprà, dum asserunt primum actum intentionis non permanere, quando elicitur secundus, qui est simul intentio, & electio, quam opinionem amplector propter rationem, quam subicio. Sufficiens principium est ad producendam electionem voluntas: ergo non requiritur intentio, tanquam principium electionis. Antecedens probò: intentio producit abique alio actu illam præcedente tanquam principio effectiuo illius: ergo eodem modo poterit electio produci. Dices electionem dependere ab intentione, & hac ratione illa indigere tanquam principio productiuo. Fateor, electionem pendere ab intentione, sed fundamentum, aut necessitatem physicam non inuenio, vt physice dependeat, sicut enim dependentia volitionis à cognitione subsistit sine dependentia physica, cur dependentia electionis ab intentione non poterit eodem modo subsistere? non enim ex eo, quod intentio ad electionem determinet, licet influxum physicum intentionis in electionem inferre, cognitio enim bonitatis obiecti, si sit sine alia cognitione, quæ obiectum appareat sub aliqua ratione mali, voluntatem necessariò determinat ad amorem, & tamen in actum amoris necessariò non influit.

4 Secundò, ex modo, quo intentio ad electionem determinat, physicum illius influxum impugno. Si ex aliquo capite influxus physicus intentionis in electionem posset requiri, vel inferri, esset quia intentio determinat ad electionem, hæc determinatio fieri nequit sine influxu physico: sed quando occurrunt plura media eligenda, intentio non determinat ad electionem huius, potius quam illius, sed voluntas pro sua libertate ad hanc, vel ad illam intentionem se determinat: ergo influxus intentionis non requiritur, vt electio ab intentione determinetur. Dices intentionem determinare ad hanc, vel ad illam electionem sub disunctione, quod præstat per influxum physicum. Contrà: determinatio sub disunctione ad electiones diuersorum mediiorum non potest fieri per influxum physicum, quia hic semper est determinatus respectu talis effectus, & indifferens non est ad hanc, vel illam electionem, sicuti est ipsa intentio, quæ cum electione huius, vel illius medij coniungi valet: ergo ex hac determinatione intentionis ad electionem sub disunctione talis influxus necessarius non est. Hæc ratio probat intentionem non influere in electionem, quando occurrunt plura media: quando verò vnum occurrit, & electio est necessaria à paritate rationis probandum est.

5 Demum si intentio concurreret effectiue ad electionem quia ad illam determinat, eodem modo deberet cōcurrere cognitio,